

Georg Tycho Holm

f. 1726. d. 1759.

- (6) Illustrissimo D^{no} Archiatro Carolo Linnæo
 Botanicorum nostri ævi Principi longe celeberrimo
 Fautori ac Præceptori æternum colendo
 S. P. D. Georgius Tycho Holm.

Pro immensa Tua erga me peregrinum et Tibi plane ignotum benevolentia ac humanitate, pro innumeris, qveis me indignum cumulasti beneficiis, pro solidissima, fidelissima, laboriosissima ac plane gratuita per integrum annum informatione humillimas immortales et quam maximas Tibi ago habeoqve gratias.

Ad Te prius scribere nolui, quam Te simul certiozem facerem de Musa, quam Tibi promisi.

Professor Buchwald et ego hunc in finem duos abhinc dies profecti fuimus Fridericsbergam ad hortum Regium, extra civitatem situm, in quo coluntur Musæ, ibique vidimus 3 plantas juniores hocce anno à Matre separatas ac seorsim plantatas, ita ut impossibile sit unam harum ad te mittere ante hyemem partim ob ingruens frigus partim ob teneritatem plantularum, quæ nondum sufficientes egerunt radices. Pervasus autem sis, Te proximo vere unam harum Musæ plantularum certissime participem fore.

In eodem Horto regio varios Cactos, Euphorbiam, Stape-liam Mesembryanthemum aliasqve in Horto Tuo Upsaliensi enumeratas nec alias offendi plantas. Inprimis hic magna habetur copia Bromeliæ vulgò Ananas dictæ, cujus fructus maturi mensæ Regiæ apponuntur.

An speciem Abietis, Larix dictam, nec non Arborem Coffeam habetis; sin minus, Te jubente, simul cum Musa proximo vere easdem ad Te mittam. Quo tempore simul mittam Cranium Phocæ (Fn. Sv. 11), si desideras; item Buchwaldi Specimen Medico-practico-Botanicum et Dissertationes Historiam naturalem Islandiæ spectantes, si eadem à Prof: Buchwaldo præterlapsa hyeme missa adhuc non acceperis.